UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

14. Decembris. 19. Cal. Januar.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

Remiſſa ſibi peccata divinitùs cognoſcit. miſſa tibi eſſe peccata, & poſt dies non multos impletum iri deſiderium tuum. *Doce me preces meas eo modo divinæ majeſtati offerri, quem tu ſcis illi eſſe gratiſſimum: ut cum filiali fiducia, & humili reſignatione in ejus ſanctiſſimam voluntatem neceſſitates meas illi exponam.* S. BERNARDUS, ſ. 2. de S. Petr. &c.

Committere nos debem⁹ DEI providentiæ. *Diſcamus de noſtra omnino induſtria, magìs autem de noſtris diffidere meritis, & ſoli nos Divinæ protectioni committere, pio quodam mentis affectu piæ intentionis in ipſum, cujus datum optimum & donum perfectum eſt, conſummatio felix & mors pretioſa.*

14. Decembris. 19. Cal. Januar.

Floruit circa annum 1300. B. NICOLAE, monache cœnobii B. MARIÆ de Arcu in Sicilia: qui velut in vita patratione miraculorum ſingularis Amici DEI nomen meruiſti; ita poſt pretioſam mortem eandem virtutem :experti ſunt fideles prout ſuſpenſæ in loco, ubi ſacræ tui corporis exuviæ quieſcunt, tabulæ luculenter teſtantur. *Oraculum divinum eſt, neminem poſſe duobus dominis ſervire: tu fac*

tu fac ut amicitiam cum rebus terrenis reſcindam, ſolúmque curem, ut Dei amicus eſſe merear.

B. JOANNES, Converſe Monaſterii Sacrorum Mænium in Hiſpania: qui à juventute prima ad decrepitam ætatem in vaſta eremo prope quandam ſacram ædiculam, Mænia MARIÆ dictam habitans, non alio cibo, quàm pane furfureo cum aqua vitam ſuſtentâſti: unde vulgo *Joannes de pane & aqua* vocabaris. Cùm autem Rex Alphonſus locum pro Monaſterio aptum juſſiſſet inquiri, Monachi de Scala-Dei in te nutu utique divino inciderunt, placuítque illis & locus, & incola. Ædificiis deinde ad faſtigium deductis tu jam ſenex emeritus inter primos fuiſti tyrones: priùs tamen vitæ, quàm probationis curſum abſolviſti. Statim verò prodigiorum fama excitavit celebrem populi acclamationem, honore & cultu ſancti te hactenus proſequentis. *In illa diuturna inedia cœlitùs nempe à ſuperna gratia paſcebaris. Hanc mihi tu quoque impetra: ſicut enim ſinè illa miſeri ſumus, ita per illam nihil non poſſumus.*

Floruit anno 1141.

Mira abſtinentia.

S. BERNARDUS, *ſ. de Annunc.*

Nunquid non cibus animæ gratia Dei ſui?

Gratia DEI cibus animæ. *Dei ſui? Dulciſſimus ſanè, & omnem habens in ſe ſuavitatem & delectamentum ſaporis: imò verò hæc ſibi omnia vendicans, non ſolùm delectat, ſed & reficit & medetur.*

15. *Decembris*. 18. *Cal. Januar.*

Floruit anno 1227. B. PHILIPPE, Abbas Monaſterii Ottiburgenſis in Germania: qui in ſcholis Pariſienſibus literis ſimul & pietate imbutus, clam parentibus ad Bonam-Vallem te contuliſti; & ne genus tuum & opes ex veſtibus agnoſcerentur, eas in itinere pauperi cuidam donâſti, indutus illius centonibus. In tyrocinium receptus adeò te probâſti, ut poſt paucos in Ordine tranſactos annos ad Monaſterium Ottiburg vocatus, Abbatem egeris ſumma laude digniſſimum. *Prudē conſilijs circa tentatos.* Inſigni præditus eras prudentiâ, cœlitùs utique hauſtâ, in juvandis illis, qui à maligni ſuggeſtionibus premebantur. In quo conflictu maximè ſuadebas animi demiſſionem ſimul & córporis: & non raro contigit, ut de remedio requiſitus, nihil aliud juſſeris, niſi ut impugnationem dæmonis ſentiens ſeſe profundè coram

Chriſti